

Tunc quis si
lius sui pa-
tris declara-
tur, cum eius
virtutes imi-
tatur.

Chrysof.

ac proinde quod relicto virili genere, paternò-
que cultu, promeruit Abrahamidum familie ad-
di, indeque maximè sese ipsum extulit, ac publi-
mauit. Sic ait S. Doctor: *Exibat & ipse de terra,
& de cognatione sua, & de domo patris sui, egressio
enim longè perfectissima ascensus est.* Tamen Zachæus
genere Iudæus erat, vt dixi quæst. 1. Dicitur au-
tem filius Abrahæ, quia eius fidem, iustitiam, ac
charitatem, & sanctitatem est imitatus, vt ait
D. Chrysofostom. homil. de Zachæo: *Fit Zachæus,
ait, Abrahæ filius merito, non sobole: deuotione, non
stirpe. Vt dixi quæst. 1. & notanter dicitur ipse.
Eo quòd ipse. Tunc enim quis declaratur filius
sui patris, quando eius virtutes tenet, & ample-
ctitur. Vide verb. Filius, in Indice.*

105.

Chrysof.
Diuitia ita
sunt homini
in estimatio-
ne, ac filius
vnigenitus.

Secundè respondet ad quæst. citat. D. Chrysof.
*Abraham, ait, Domino filium: Zachæus substan-
tiam obtulit, ille heredem: hic hereditatem donauit.
Ille immolandum solum, quod habuit pignus exhi-
buit, hic patrimonij substantiam Domino immolauit;
vnde rectè Abrahæ filius nuncupatur, dum ordinem
gloria paterna exequitur.* In quoniam Zachæus
similis est merito, ac deuotioni Abrahæ: Illustris-
simum facinus Abrahæ exitit proprii filij immo-
latio, quod abundè celebratur in omni Scriptur-
arum serie; quodnam erga meritum simile appa-
ret in Zachæo, vt valeat Abrahæ comparari: *Abraham
Domino filium, Zachæus substantiam
obtulit.* Animofitas, qua Zachæus dimidium sua-
rum rerum dar pauperibus, ac vltro in quadru-
plum restitit debitum creditoribus, consimilis vi-
detur illustri facto, quo Abrahamus Patriarcha-
rum princeps, vnigenitum filium suum immolat;
tanto amore, ac affectu homo ad propriam sub-
stantiam teneretur, vt animofitas, qua suas res di-
mittit, ac à se abicit, videatur posse comparari
illustri facinori, quo Abrahamus proprium filium
in holocaustum offert.

106.

Beda.

Tertiò. Beda lib. 5. in Lucam cap. 77. *Filius
Abrahæ dicitur, ait, Zachæus, quia eius est fidem
imitatus, vt sicut Abraham terram, cognationem,
dominque paternam ob spem futura hereditatis Do-
mino iubente deseruit; ita & ille, quo thesaurum in
caelis acquireret: & pulchrè dicit, & ipse, vt non
solum eos, qui iusti perseverant, sed & eos, qui ab
iniustitia respiciunt ad filios promissionis pertinere
decretet. Abrahamus iustus, Zachæus publicanus,
quomodo ergo filius Abrahæ? Sic enim Zachæus
per poenitentiam mundatus est, ac restitutus suo
antiquo honori, super nivemque dealbatus, vt
numerari mereatur inter sobolem iusti, ac sancti
Abrahæ. Non solum inter filios Abrahæ comput-
atur purus, & innocens Isaac, sed etiam Za-
chæus licet publicanus, per poenitentiam tamen
mundatus; decorem enim, quem iustus habet
per suam innocentiam, habet & conuersus per
poenitentiam. Non solum eos, qui iusti perseverant,
sed & eos, qui ab iniustitia respiciunt ad filios pro-
missionis pertinere declarat.*

107.

Olez 2.

Ad animam Deo marito infidam, quæ cum fal-
sis amatoribus prostituta fuerat, reuocata tamen
humanissimè loquitur Deus. *Es sponsabo te
mibi in sempiternum, & sponsabo te mihi in iustitia,
& iudicio, in misericordia, & miserationibus, &
sponsabo te mihi in fide, Olez 2. num. 19. Nonne
hæc corrupta, & deficiens à viro suo cum multis
amatoribus fornicata est? quo ergo pacto sponsa
futura pronuntiatur? Nam sponsa dicitur, cui
hos virginitatis intactus perseverat; dicendum
ergo videbatur, non desponsari, sed reconciliari;*

nam inter homines si sponsa violat leges matri-
monij cum ad virum reuertitur, non desponsari,
sed reconciliari affirmatur. Et si hoc sit in con-
iunctione humana, tamen in spiritali matrimo-
nio, quod per comparisonem gratiæ sanctifi-
cantis fit, sic suum decorem amissum recuperat
anima, vt non tanquam corrupta, ac violata re-
conciliari, sed veluti virgo pulchra, & decora
desponsari reputetur, ac iudicetur. D. Hieron. ad
cit. locum Olez: *O quanta clementia Dei, ait,
meretrix, quæ cum multis amatoribus fornicata est,
& ob hoc crimen bestis tradita, postquam reuer-
tur ad virum, nequaquam reconciliari dicitur, sed
desponsari: & vide, quod intersit inter Dei coniun-
ctionem, & hominum, homo cum uxorem accepit,
de virgine mulierem facit, id est, non virginem, Deus
etiam meretricibus copulatus mutat in virgines. Vn-
de, & Apostolus post fornicationem, & idolorum-
cultum credentibus Corinthiis loquitur. Despondi
enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo.*
Vide multa verb. Poenitens, in Indice.

Per poeniten-
tiam decora-
tur homo, vt
innocens.

Hieron.

Series Historia.

D. Hieron. D. Paschal. lib. in Matth. D. Remig.
Abulens. quæst. 1. & 2. volunt ingressum
triumphalem in Hierusalem fuisse immediatè
consequens ad historiam præcedentem de Ieri-
cho, ac Zachæo; tamen communiter Iansenius,
Barrad., Lucas Burgens. Cornelius, & alij in
suis itinerariis; hic interponunt historiam de
vnctione Magdalene in domo Simonis Leprosi,
quam D. Matthæus 26. & D. Marcus cap. 14. tan-
quam præludium ad Christi Passionem, ideo or-
dinem. D. Matth. ac Marci sequentes ad exordium
libri sequenti explicabimus.

108.
Hieron.
Remigius.
Abulens.

Iansen.
Barrad.
Luc. Burg.
Cornel.

CAP. XL.

Triumphalis ingressus in
Ierusalem.

Matth. 21. Et cum appropinquassent
Ierosolymis, & venis-
sent Bethphage ad mon-
tem Oliueti: tunc Iesus
misit duos discipulos.

Num. 2. Dicens eis: Ite in Castel-
lum, quod contra vos
est, & statim inuenietis
asinam alligatam, & pul-
lum cum ea: soluite, &
adducite mihi.

VERSIONES.

Syriacus n. 1. Venissetque Bethphage
iuxta verticem montis
Oliuarum: misit Iesus
duos ex discipulis suis.

Syriacus n. 2. Et dixit eis: Ite in vicum
istum, qui vobis est è
regione,

regione, & statim inue-
nietis asinam vincitam.

Pagninus. Ite in oppidum.
Lucas Burg. Quod ex opposito est.
ex Græco.

ALTER TEXTVS.

Marc. 11. n. 1. Et cum appropinquarent
Ierosolymæ, & Bethaniæ
ad montem Oliuarum,
mittit duos ex discipulis
suis.

Num. 2. Et ait illis: Ite in Castel-
lum, quod contra vos
est, & statim introeun-
tes illuc, inuenietis pul-
lum ligatum, super quem
nemo adhuc hominum
sedit: soluite illum, &
adducite.

Luc. 19. n. 29. Quasi idem habet cum D.
Marco.

EXPOSITIO I.

I v v s Hieron. Egreditur de Ieri-
cho, ait, turbis eductis inde quam-
plurimis, & cæcis reddita sanitate,
appropinquat Ierosolymis, magnis
ditatus mercibus: salute creden-
tium reddita. In Iericho Christus duos cæcos il-
luminavit, in itinereque Zachæum cum tota fa-
milia conuertit; in festiuissimi Christi triumphi
causa, quod magnis fuerit ditatus mercibus sa-
lute hominibus reddita, ac pro omnium salute,
ac remedio ingrediatur Ciuitatem.

1.
Hieron.

2.
Alb. Magn.

Ioan. 12.

Iansen.
Sà.
Monoch.
Tirin.

3.
Luc. 10.

Abulens.

D. Thom.

Et cum appropinquassent Ierosolymis. Cum Ie-
sus, ac comites eius non procul abessent ab Iero-
solyma. Et nominatur, vt aduertit Albert. Magn.
pluraliter, Ierosolymis, quia Metropolis erat, vel
propter multitudinem habitantium, vel quia
propter suam iniquitatem in multas partes erat
diuisa, & minimè sibi constans. Et venissent ex
proxima Bethania vbi Christus cū suis discipulis
superiorem noctem degerat, Ioan. 12. n. 1. Bethpha-
ge. Vicus erat, vt tradunt communiter interpre-
tes, Iansenius, Sà, Monoch. Tirinus ad pedem
montis Oliueti, sic dictus, quia oliuis abundabat.
Erat autem vicus Bethphage propinquus Ieroso-
lymæ, & Bethaniæ; & ideo ait D. Marcus: *Cum
appropinquarent Ierosolymæ, & Bethaniæ.* Et D. Lu-
cas, *Cum appropinquassent ad Bethphage, & Betha-
niam.* Erat enim Bethphage vicus propinquus Be-
thaniæ, & Ierosolymæ, qui ergo venerat Beth-
phage proximus erat tum Bethaniæ, tum Ieroso-
lymæ.

Misit duos ex discipulis suis. Nam Christus
Dominus misit suos discipulos binos, Luc. 10. De
quo vide tom. 3. cap. 18. quæst. 7. Quod enim ipse
mandauit suis factis adimplet. Deinde, vt ait
Abulens. quæst. 7. quia quando duo sunt, vt
alteri testimonium perhibet, & quia ad conditio-
nem actus, apotes erant duo, quam vnus; nam
Christus mandauit afferre asinam, & pullum,
quod aptius facerent duo, quam vnus. D. Thom.
ait, quod misit eos binos propter duo præcepta

charitatis. Quinam essent hi duo discipuli, D. Hi-
lar. D. August. D. Chrysof. in Imperfecto, Beda,
Glossa, existimant hos duos fuisse Petrum, &
Philippum. Origenes verò, & Theophylact. pu-
tant fuisse Petrum, & Paulum in figura, ac typo,
Hi ad Genes erant mittendi; nondum enim Pat-
lus conuersus erat ad Christum. Verisimilius verò
Iansen. Cornel. & alij Recentiores hos duos fuis-
se Petrum, & Ioannem, quos paulo post Christus
præmisit ad parandum Agnum Paschalem; nihil
tamen certò in hac re potest definiti.

Quinam es-
sent hi duo
discipuli.
Hilar.
August.
Chrysof.
Beda.
Glossa.

Dicens: Ite in Castellum, pagum nempe, seu
vicum, quod contra vos est. Ex regione, seu op-
posito vestri est. Statim inuenietis: in ipso introi-
tu Castelli, ad primæque eius domos inuenietis,
qui diuina mandata exequitur, statim ei omnia
occurrunt, ac sunt in promptu. *Asinam alliga-
tam.* Per quam denotatur humanum genus pec-
catorum vinculis detentum: *In anima peccatrice,*
ait D. Hieron. multa vincula peccatorum. *Et pul-
lum,* asinæ scilicet, vt adimpleretur propheta
Zachariæ; de quo multa dicam infra. Addunt ta-
men D. Marcus, & Lucas: *Super quem nemo adhuc
hominum sedit,* Syrus, pro *sedit,* legit *equitauit,*
qui adhuc erat rudis, & inexpertus humano sel-
fore. Ecce Christus Dominus suæ diuinitatis præ-
bet argumentum, eiusdem enim virtutis scilicet,
diuina est, prædicere futura, ac absentia intueri,
& reuelare, qua etiam virtute Christi vidit, &
reuelauit ea, quæ Nathanaël secreto egerat sub
ficu, Ioan. 1. n. 48.

4.

Hieron.

Syrus.

Ioan. 1.

QVÆSTIO I.

Explicatur vicus Bethphage litteraliter,
ac moraliter?

BETHANIA, vt ait D. Ioan. 11. distabat ab
vrbe Ierusalem quindecim stadiis, id est,
duobus milliariibus, quæ mediam leucam effi-
ciunt. Bethaniæ viculus Bethphage propinquus
erat, qui ad radices montis Oliueti situs extabat
quinque stadiis ab vrbe Ierolyma distans, vt
tradit Iosephus lib. 20. Antiquitatum, cap. 6. &
lib. 6. de bello cap. 3. Hic autem vicus Bethphage
constitutus erat in orificio, seu in ore vallis Io-
saphat. Vt docent D. Hieron. in cap. 26. Matth.
D. Paschal. Haymon, & alij. In hoc autem vallis
Iosaphat erat via, quæ deducebat ad portam au-
ream templi; per hunc autem vallem, qui refer-
uatus est extremo iudicio, voluit Christus ingre-
di cum regali triumpho in ciuitatem, ad mortem,
vt inueneret in tremendo iudicio exactam ratio-
nem esse sumendam ab eis, qui mortem, & pas-
sionem Christi contempserunt, vt vitam, & sa-
lutem sibi compararent.

5.

Ioan. 11.
Situs Beth-
phage.

Iosephus.

Hieron.

Paschal.

Haymon.

6.

Bethphage
vicum Sacra-
dotum.

D. Thom.

Hieron.

Adricom.

Iansen.

Bethphage vicus erat Sacerdotum, nam per-
acta vice, & hebdomada sua ministrandi in tem-
plo, vt docet D. Thomas, ad hunc viculum se se
recipiebant Sacerdotes. *Ibi habitantes,* ait D. Hie-
ron. citatus, *cum vxoribus, filijs, filiabus, comedebant
decimas, & primitias, & oblationes, quas in
templo Domini populus offerebat Deo.* Tradunt
etiam Adricom. Iansen. & alij, in hoc oppido
agnos, capras, & boues pro sacrificiis templi
ali solitos, ex eo quòd consuetum erat Agnos
Paschales deduci ad victimas offerendas in tem-
plo: hæcque de causa ex Bethphage Christus
disposuit

disposuit deduci per portam auream in Ierusalem, ac templum, se esse Agnum illum, qui tollit peccata mundi, quem ceteri Agni Paschales praefigurabant.

Bethphage, vt voluit D. Hieron. in cap. 26. Matth. Ammonius, Origenes, D. Thomas, ex Hebraeo idem valet, ac domus maxillarum, quia iniqui ipsi, hostiae maxilla erat portio Sacerdotis. Drumarius domum maxillarum, vult appellatam villam, propter capita arietum, & hircorum; quae ibi iacebant. Pagninus, D. Bonavent. Haymon, Hugo, Lucas Burgens. Titinus, dicunt quod Hebraice Bethphage idem est, ac domus oris, seu in ore vallis; vnde Christus Dominus ex Bethphage vadit in Ierusalem, quae significatur visio pacis, seu societas honorum; ex Bethphage venit in Ierusalem vt significetur, quod per domum confessionis ascenditur in domum pacis, & quietis; & bene Bethphage notatur vicus situs in monte Oliueti, vbi erat abundantia Olei, quia vbi est confessio, ibi est abundantia misericordiae, & pietatis diuinae. Vide multa verb. Confessio, in Indice.

QVÆSTIO II.

Quare discipuli mittuntur ad Castellum, quod contra eos erat?

O c Castellum ad quod discipuli mittuntur Ierusalem esse voluit Lyranus, Abulens. quæst. 10. Hugo Cardinalis, Magister historiae Ecclesiasticae, Carthusian. & alij. At Castellum hoc loco non significat arcem, vel urbem, sed viculum, seu pagum, vt est vox Græca, vt notat Barradas, qua Euangelista vtuntur, significat. Deinde Castellum, in quod discipuli mittuntur è regione illorum, ac in aspectu erat. Ierusalem verò ex loco, in quem Christus peruenerat, nondum cenebatur: ergo non erat Ierusalem. Erat ergo Castellum hoc viculum aliquis ante eos, vt voluit Adrichomius, Ianfenius, Caietan. Maldonat. cuius nomen Euangelista omittunt.

Pro moribus non omitam notare, quod Ioannes Geometra in Catena Græca existimat hoc Castellum, ad quod discipuli mittuntur fuisse Bethaniam. Vnde ait: Illuc enim vbi obedientia, vbi locus Sacerdotibus mancipatur, mittit Dominus Apostolos suos, vt soluant asina pullum. Potius Christus mittit in Bethaniam, quam in alium locum; Bethania enim domus obedientiae significatur, ideo pro significatione ad illam destinantur discipulos, quia solum in illis, qui in obedientia viuunt, & seruiunt, Dominus amat triumphare, ac regnare.

In hac sententia Geometriae insurgit magna difficultas, Christus profectus est ex Bethania, cur ergo secum non adduxit asinam, & pullum, sed pro eis adducendis ex Bethphage mittit discipulos? Vt agnoscamus Christum Dominum non suo, ac suorum commodo seruire, sed mysterio: non labori corporis consulit, sed adimplenda prophetae studet, per asinam, & pullum denotabatur genus humanum, quod missis Apostolis in totum orbem erat soluendum ex iugo Dæmonis, & adducendum ad Christum, de quo infra. Deinde etiam, vt patefieret eximia discipulorum

obedientia, qua Domini mandatis minime ea discipientes, obediebant; & vt etiam nota fieret promptitudo, ac obedientia Domini animalium, nam cognita Christi necessitate, quamuis esset absens in Bethphage, tamen statim obedit, & sua ob eius amorem dimittit.

Et ait Dominus: Ite in Castellum, quod contra vos est; quoad literam in Castellum, eos mittit, quod ex regione, ac ex opposito erat, & etiam ad significandum, ait D. Thomas, quod mundus denotatus per Castellum, ad quem suos mittebat, contra eos erat. Euntes in mundum vniuersum, & iste erat, ait D. Thomas, contra vos.

Aliter D. Bernardus serm. in Ramis Palmarum de proprio Euangelio in codicibus denuo impressis. Per Castellum intelligit superbiam, & elationem: Castellum, ait, quod contra discipulos Christi est, anima est peccatrix, que per elationem internis, & spiritualibus Redemptoris nostri virtutibus contraria est. Talis anima turrim elationis habet. Per duos illos discipulos à Christo missos, intelligitur charitas, vt dixi in expositione, duo enim sunt præcepta charitatis; per castellum ergo, quod contra vos est; denotatur elatio, ac superbia, nihil enim magis est contrarium diuino amori, ac charitati, quam elationis tumor, & ideo suis discipulis, quos in charitate diuinus Magister instruebat, ait quod elationis Castellum contra eos est, vt verò charitatis spiritu alta fugiant, & humilia querant.

Omnis gloria eius filia regis ab intus, in fimbrijs aureis, Plal. 44. num. 14. decantatur gloria filiae regis, seu animæ sanctæ; & dicitur, Ab intus. Seu vt legit D. Hieronym. in quibusdam exemplaribus, vt refert Lorinus: Ex cogitationibus. Et dicitur, In fimbrijs aureis. Hoc est, in ore, seu extremitate vestimentorum. Cur gloria, ac celsitudo animæ iusti non celebratur ex diademate capitis, vel ex monilibus collo appensis, seu ex candido, ac aureo indumento, vt sæpe inuenimus in Apocalypsi, sed euulgatur eius gloria in fimbrijs, quibus sæpe sapius instar scoparum pauimentum vertitur? Ex hoc sanè gloria, celsitudo, ac nobilitas animæ sanctæ decantatur, Ab intus, seu ex cogitationibus, quod eius cogitationes non sint in rebus altissimis, vt in diademate, ac monilibus, sed quod ita sit succensa auro charitatis, vt omnes eius cogitationes sint in fimbrijs, in extremitatibus, ac abiectionibus ministerijs occupentur, vtque semper versetur in rebus despiciatissimis, ac infimis diuini obsequij. D. Chrysostr. homil. 33. in Epist. 30. ad Corinth. Charitas non magnam quarit, non altissimum sapit, sed paruum, ac infimum cogitat.

Maximè celebratur Salomonis ferculum, seu vt habet Syriacus: Thronus, totus, seu lectus, alij legunt, diciturque de eo: Media charitate constravit, Cantic. 3. num. 9. Ex radice Hebraica Media non conuenit cum charitate, sed est in accusatiuo. Et legitur, Medium charitate constravit; Ghislerius exposit. i. seu vt alij legunt, Medium eius in censum charitate. Medium hoc charitate ornatum, intelligitur ferculi pauimentum, vt tenent D. Gregor. Nyssen. homil. 7. Catena trium Patrum, apud Theodoret. Cur tamen à sapientissimo Salomone, charitas, quæ inter ceteras virtutes est regina, ac prima non depingitur in superiori parte ferculi in tecto, seu columnis, sed in pauimento, quod pedibus teritur? Hoc est, proprium charitatis ingenium, vt semper ab altis fugiat,

7. Hieron. Ammonius. D. Thom. Drumarius. Pagnin. Bonavent. Haymon. Hugo.

Ex confessione misericordiae, & salutis.

8. Lyran. Abulens. Magister Carthus. Hugo.

Barrad.

Adrichom. Ianfen. Caietan. Maldon.

9. Geometra.

Christus in obedientibus regnat.

10. Christus consuebat mysterio, non commodo suo, ac suorum.

11.

D. Thom. Mundus contra Christi discipulos.

12.

Bernard.

Charitas humilia quærit, alta fugit.

13.

Plal. 44. Hieron. Lotianus.

Charitas tota propensa in humilia, & abiectionibus.

Chrysostr.

14.

Syriacus. Cantic. 3.

Ghislerius.

Greg. Nyss. Catena trium Patrum.

Charitas sese submittit calcanda.

fugiat, & humiliora, ac inferiora perat, semperque calcanda aliorum pedibus sese submittat; vnde ad Christi humilitatem sic adaptat Aponius ad cap. 3. Cantic. Media charitate constravit, ait, humiliando se charitas Dei, usque ad ignominiam crucis pro sua maiestatis imagine reparanda; hæc est usque constrata charitas, que calcata nunquam cedit, sed alios erigit sua humilitatis exemplo.

Aponius.

QVÆSTIO III.

Quare asina dicitur alligata, & pullus cum ea?

15.

Hieron. Beda. Alb. Magn. Bonavent. Vnum peccatum aliud parturit.

16.

4. Reg. 17.

Abulens.

Ex vna idololatria tanquam ex radice alia parturit.

DEPENDENDVM est id, quod ait Dominus suis discipulis: Inuenietis asinam alligatam in præsepio, nempe Domini sui, & pullum cum ea. D. Hieronym. Beda, Albert. Magn. D. Bonau. & alij, inquirunt quod asina illa erat natura humana alligata peccati vinculo; notandum, quod dicitur, Inuenietis asinam alligatam, & pullum; bene simul cum asina alligata, est pullus, quia cum asina alligata est peccato, nisi per penitentiam resurgat, statim plurimorum est focunda, multaque alia edit, ac parturit.

De idololatria filiorum Israël conqueritur Dominus, dicens: Ambulauerunt iuxta ritum Gentium, quas consumperat Dominus in conspectu filiorum Israël, 4. Reg. 17. num. 8. Scilicet ambulauerunt iuxta ritum Chananæorum eorum idola adorantes, sed quare obicitur tantum Israëlitis, quod adorauerint idola Chananæorum, cum planum sit, quod etiam coluerint idola Damascenorum, 4. Reg. 16. num. 12. & etiam Assyriorum, Chaldæorum, ac Ægyptiorum idola coluerunt? Merito ergo quarit Abulens quæst. 7. ad 4. Reg. cap. 17. Cur ergo solum in crimen ponitur contra Israël cultus idolorum Chananæorum, non verò aliarum nationum, cum in his omnibus Israël peccauerit, cur non dicitur, quod ambulauerint iuxta ritum Chaldæorum, Assyriorum, sed tantum de Chananæis sit mentio? Idola Chananæorum extiterunt prima, quæ adorauit Israël, & sat est, quod dicatur in populo vna idololatria admixta, vt inde multiplex tanquam ex radice pululans intelligatur, vnum enim peccatum multa alia generat, & parturit. Vide cap. 1. n. 101. & 102. & cap. 9. n. 20. 21. & cap. 11. n. 38. 39. & cap. 12. n. 10. 11. & 12. & multis aliis in locis.

QVÆSTIO IV.

Quare asina alligata, & pullus cum ea mandantur solui, vt ad Christum adducantur?

17.

Beda. Haymon. Hugo. Bonau. Prou. 5.

ATIO literalis est in promptu, quia asina alligata, & pullus soluendi erant, vt ad Christum adducerentur, aliter, & moraliter Beda, Haymon, Hugo, D. Bonavent. dicunt, quod cum asina alligata denotet peccatorem, iuxta illud Prouerb. 5. num. 22. Impius finibus peccatorum suorum constringitur. Ministerio ergo Discipulorum, ac Sacerdotum à peccatis ab-

soluendus est, vt ad Christum veniat, ac adducatur. Secundò, Ecce regis magna gloria, gloriosus rudiora, ac abiectioniora animalia soluere, pauperes scilicet, ac minimos subditos ab oppressione, ac vexatione liberare, ac eximere. Vide Prælatum, Rex.

Tertio, ac eleganter D. Ambrosius in cap. 19. Lucæ expendens: Soluite illum, & adducite. Sic ait: Alieni alligant, vt possideant; iste soluit, vt teneat, vehementiora enim iura nouit esse, quam vincula. Iura nempe charitatis vehementiora esse. Quid est, quod Dominus pullum, quem ad sui obsequium mandat adducere, prius tamen iubet illum soluere? Terreni Domini, vt sub sua potestate habeant mancipia, illa vinculis constringunt, at Christus pullum ab alligaturis soluit, quod libertatis signum est, quæ enim ad Domini obsequia dedicantur, ipsæ seruitutis, ac charitatis rationes, seu vincula sunt eis libertatis gloriæ, ac honoris pignora.

Vnde Paulus de huiusmodi seruitutis vinculis, tanquam de vera libertate, ac eximio decore gloriabatur: Ego Paulus vinculus Christi Iesu, ad Ephes. 3. num. 1. Quid est quod Paulus de se tanquam de eximio honore, ac gloria dicit, quod sit vinculus, seu ligatus Christi Iesu? Pulchre D. Ambros. in Psal. 45. Christus, ait, quos alligat, liberat; quos astringit, absoluit. Et post pauca subdit: Quod sub alijs contumelia est; sub Christo gloria est. Quamuis esse ligatum humanis Dominis sit contumelia, tamen victum esse Christo; nulla potest esse maior gloria, honor, & libertas, inde inter cetera de hoc maximè gloriatur S. Paulus. Pro quo Philo Hebræus lib. de Cherubin: Seruire Deo, ait, maxima gloriatio, non modo libertate maior: sed & diuinitis, & principatu, & omnibus rebus, quas mortales admirantur; pretiosior.

Attonitus Nabuchodonosor miraculo trium puerorum, & quomodo flamma ignis eos non læderet in medio fornacis, ex illius ostio alta voce clamat: Sidrach, Misach, & Abdenago, serui Dei excelsi, egredimini, & venite, Daniel. 3. n. 93. Cur tantum dicit seruos Dei? Cur non potius appellat triumphatores elementorum liberatos ab igne, & triumphatores, ac victores flammarum, sed tantum seruos Dei nuncupat? Nulla illis gloriosior vox, quam seruos Dei se audire, hoc illis pro maiori gloria, trophæo, ac libertate erat, in ipsa enim Dei seruitute omnem suum decorem, ac splendorem cognoscebant. D. Chrysostr. homil. 8. ad Ephes. Suauissima voce illos appellauit: hoc ipso illos blandiendo veneratus est. Nam non ita gauisus fuissent, si vel reges eos, vel orbis dominos vocasset, atque, quod dixit, Serui Dei.

Hinc Iudas Thadæus in sua prima Canonica, num. 1. ait: Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi. Iudas intimus Christi sanguineus erat, cur tantæ rei immemor se non consanguineum, sed seruum dicit? Bene sciebat Apostolus se cum Christo habere eam sanguinis necessitudinem, qua posset frater eius vocari, tamen excellentius, ac gloriosius sibi reputauit, si Domini seruitutem eius coniunctioni sanguinis præferret, plus æstimans Christi esse seruum, quam eius consanguineum. Eleganter Clemens Alexandrinus: Cum sciret, ait, propinquitatem Domini, non tamen dixit fratrem eius esse; sed quid dixit? Iudas seruus Iesu Christi, utpote Domini.

18.

Ambros.

Seruire Deo libertas, ac gloria.

19.

Ephes. 3.

Ambros. Dei obsequio nulla maior gloria.

Philo.

20.

Dan. 3.

Dei serui superma nobilitas.

Chrysostr.

21.

Iudæ 1.

Christo seruire maior gloria, quam eius consanguinitas.

Clem. Alex.